



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CXX. Differentia 11. Iure Canonico præscribenticum bona fide datur
exceptio, & actio, ut Andr. notat in Reg. Possessor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

CXX.

DIFFERENTIA II.

Iure Canonico præscribenti cum bona fide datur exceptio, & actio, ut Andr. notat in Reg. Possessor. Iure civili etiam mala fidei possessori exceptio permittitur, & insuper actio contra furem, aut violentum possessorem: l. Si quis emptionis, §. Sed hæc, C. de præscr. 30. aut 40. annorum, Ioann. Bapt. à S. Blasio 63.

I. IVs Canonicum proprio suo fini insistens, quia animarum salutem conducere existimat, nihil præscribenti negat, quod juri tuendo conservandique necessarium videtur, atque ita actionem & exceptionem permittit illi, qui præscribit, dummodo rei alienæ conscientiam non habeat. Tunc enim nec de actione, nec exceptione cogitandum illi, sed de restitutione, & satisfactione, l. Manifesti, C. de solut. Navarr. c. 17. n. 24. Azor. III. l. 4. c. 20. Soto l. 4. q. 5. art. 4. Menoch. Remed. 16. recuper. pass. Castr. l. 2. de leg. pan. c. 5.

II. Quod Ius civile attinet, illius permissu qui malam fidem ab initio habuit, elapso præscriptionis termino non tantum jus retinendæ rei consequitur, sed etiam vindicandi in certis casibus, puta à fure, ac violento Possessore. Cur hoc? An quia melior est conditio possidentis? Respondet *Gottofr. in Glossa*: Recte, si bonæ fidei possessor sit: aliàs minime juxta c. *Vigilanti, de præscript. ubi Alexand. III. Antiquorum dierum pos-*

sessio neminem juvat malæ fidei possessorem.

III. At, magistratus, ajunt, rerum suarum incurios, & ignavos custodes privat, in alios transferendo dominium. Possè non inficior certis in causis id fieri, cum videlicet rei publicæ necessitas, vel perfidia domini id exigit: non tamen interveniente peccato illius, qui substituitur, quemadmodum in malæ fidei possessore contingit. Auctoritatem peccandi præstare, & quasi præmio proposito, bonorum videlicet alienorum occupatione, ad injustitiam prolicere nulli concessum est potestati. Nec prodest finem intendi bonum, ut ignavia & incuria castigetur, quando medium illicitum ad id eligitur. Acquiescendum igitur hic, & relictis legibus sanctorum Canonum præscripto morem gerere oportet. *Mol.*

disp. 66. Tholos. de rep.

l. 7. c. 20. n. 45.

Soto l. 4. q.

4, art. 2.